

TRACTATUS DECIMUS NONUS

DE RESTITUTIONE.

IN hoc tractatu, qui æque prolixus, ac utilis est, prius agemus de restitutione in communi, de conditionibus, loco, ordine, modo, tempore, & personis, quibus debet fieri: deinde de restitutione exhibenda ob peculiare iniustitias contra proximum, sequentes doctrinam D. Th. 2. 2. q. 62. & alibi.

CAPUT I.

De restitutione in communi.

PUNCTUM I.

Notio, & præceptum restitutionis.

1. Inq. 1. Quid sit restitutio? R. Quod restitutio in communi idem est, ac reddere aliquid alteri, sive ex iustitia, aut alio titulo. Sic aliquis dicitur se in patriam, sanitatem, seu in amissam dignitatem restitui. Restitutio vero proprie dicta est *actus iustitiæ commutativæ, quo damnum proximo irrogatum reparatur*. Ponitur loco generis *actus iustitiæ*, quia in hoc convenit cum actu iustitiæ legalis, & distributivæ. Per *ly commutativæ* cum reliquis particulis discernitur restitutio ab actibus iustitiæ legalis, & distributivæ, ex quorum violatione non oritur obligatio restitutionis, nisi simul violetur iustitia commutativa: Igitur restitutio est actus solius iustitiæ commutativæ, ut docet D. Thom. *loc. cit. art. 1. ad 3.*

2. Differt vero restitutio a solutione, & a satisfactione; ab illa, nam restitutio supponit damnum irrogatum, non autem solutio, ut dum solvimus pretium rei emptæ, vel vota Domino. Differt a satisfactione; tum, quia hæc latius patet quam restitutio: omnis enim restitutio est satisfactio, non vero econtra. Tum, quia satisfactio proprie consistit, aut fit in actionibus, & passionibus: restitutio fit de rebus. Tum, quia satisfactio potest esse pars integralis poenitentiae, se-

cus restitutio, hæc enim reddit secundum æqualitatem rei ad rem, quod non valet agere satisfactio. Tum denique, quia satisfactio proprie sumpta supponit injuriam personalem, non autem restitutio. Verum, quia hæc nomina in communi acceptione coincidunt, uno, vel altero utemur, pro majori explicatione reddendi unicuique quod suum est.

3. Inq. 2. An detur præceptum restituendi? R. Dari præceptum naturale, divinum, & humanum restituendi: quia in primis sicut jus naturale præcipit, ne rem suam ab alio auferas, ita præcipit, quod ei rem ablatam reddas. Deinde jure divino, *Ezechiel. 33.* dicitur, non remitti culpam, nisi reddatur rapina. Denique, jure humano passim præcipitur per leges civiles, & canonicas præcipue, in *cap. Si res aliena 14. 16.* ubi ex August. dicitur: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

4. Restitutio est necessaria necessitate præcepti, non necessitate mediæ absolute, ut baptismus in re, vel in voto, quia si quis invincibiliter ignoraret rem esse alienam, vel obligationem restituendi, absque restitutione in re, nec in voto potest consequi æternam salutem. Quando autem in re fieri valet, est de necessitate salutis, seu necessaria necessitate mediæ.

5. Inq. 3. An præceptum restituendi sit affirmativum, aut negativum? R. esse affirmativum. Prob. 1. ex D. Thom. *loc. cit. art. 8. ad 1.* ubi aperte supponens esse formaliter affirmativum, addit implicare etiam negativum his verbis: *Præceptum de restitutione faciendâ, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alienam retinere.* Ac si diceret, præceptum restituendi, quamvis sit affirmativum, affert secum præceptum non retinendi rem alterius, & ideo obligat ad statim. Si hæc non esset mens D. Thom. posset facilius

ur-

Cap. I. De restitutione in communi.

argumento sibi objecto respondere: præceptum restituendi esse negativum, obligareque ad semper, & consequenter ad statim. Nec dicit S. D. *Quamvis secundum formam appareat affirmativum, ut aliqui interpretantur; sed quamvis sit: Est ergo vere, & formaliter affirmativum.* Igitur sicut præceptum sciendi mysteria fidei est affirmativum, afferens secum præceptum ea non ignorandi, ex qua parte obligat semper, aut statim, ac opportunitas occurrat; ita pariter præceptum restituendi obligat semper, ac statim. D. Thom. *ibi. a. 8.*

6. Prob. 2. ratione: quia præceptum restituendi præcipit per se actionem: illud enim præceptum, quod numquam potest impleri absque actione, per se, & non per accidens præcipit actionem; sed hujusmodi est præceptum restituendi, ut consideranti constabit, erg. est affirmativum. *Confirmatur:* quia præceptum poenitendi est apud omnes affirmativum: erg. etiam præceptum restituendi. Patet consequ. quia poenitere nihil aliud est, nisi restituere suo modo, seu reintegrare pro posse jus divinum læsum. Unde præceptum poenitendi solum differt a præcepto restituendi in eo, quod non possumus reddere Deo æquale, sicut homini. Verum sicut poenitentia supponit jus divinum læsum, & jubet satisfieri, ita restitutio supponit jus humanum læsum, & præcipit reintegrari: erg. sicut primum est affirmativum, etiam secundum. *Confirm. 2.* nequit idem præceptum obligare, & non obligare omnes; sed præceptum non furandi obligat omnes, & præceptum restituendi non omnes obligat, ut ex se patet: erg. non sunt idem. Quædam distinctiunculæ v. g. *implicite, & explicite*, ut aliena ab studio morali proscribi debent a præsentis questione.

7. Objic. 1. cum Concina hic: Retinere rem alienam invito domino furtum est; sed furtum præcepto negativo vetatur: erg. præceptum restituendi est negativum. R. neg. major. quia furtum est acceptio occulta; retentio vero potest esse non occulta, unde licet quoad peccatum sæpe conveniant, metaphysice tamen, & proprie loquendo valde differunt. Potest enim quis retinere licite rem alienam in circumstantiis, in quibus illam

non potest furari, aut clam a domino accipere. Nec valet respondere, quod in illis circumstantiis non est dominus rationabiliter invitus: nam hoc ipsum manifestat retentionem valde differre a furto; hoc enim in illis circumstantiis non est licitum. *Præterea*, si daretur excommunicatio non furandi, retentor morosus pecuniæ mutuo acceptæ non illum incurreret: igitur furtum, & retentio etiam morosa valde differunt.

8. Objic. 2. præceptum jejunandi, esto appareat positivum, revera est negativum, erg. pariter præceptum restituendi. R. neg. consequ. præceptum enim jejunandi est negativum, quia nullam actionem præcipit; qui enim toto die jejunii nihil prorsus comederet, optime jejunaret. Cujus oppositum exigit præceptum restituendi; jubet quippe reddere positive æquale, seu ponere in effectu æqualitatem læsam per injustam actionem, sive alias a iustitia postulatam. Objectionis confirmat nostram sententiam: quia præceptum negativum nulla indiget actione pro sui adimplectione, cujus oppositum accidit in præcepto restituendi.

PUNCTUM II.

De radicibus restitutionis.

9. Inq. Ex quibus radicibus oriatur obligatio restitutionis? R. oriri ex duplici radice, nempe *ex re accepta, & ex injusta actione.* *Ex re accepta*, quando nimirum rem alienam accipis bona, vel mala fide, teneris ad restitutionem: quia res ubicumque sit, domino suo clamat. *Ex injusta actione*, nempe ex quacumque læsione, seu culpa contra iustitiam commutativam, damno secuto, ut ex homicidio, mutilatione, adulterio, stupro, infamatione, furto, rapina, aut quid simile. Non requiritur, ut utraque radix simul concurrat, ut quis adstringatur ad restitutionem; qualibet enim adstante datur obligatio, ut si res aliena apud te sit bona fide, teneris ex re accepta tantum: si autem ex furto eam habens, teneris ex utraque, videlicet ex re accepta, & injusta actione. Aliquando etiam teneris ex sola actione injusta, ut ex homicidio, aut incendio voluntaria

Nann

rio

rio causato.

10. Sed est duplex discrimen in onere restituendi, quando utraque radix concurrat, ut in fure, vel injusto damnificatore, ac quando solum datur ex re accepta. *Primum*, quod ex re accepta solum datur obligatio restituendi, quando ipsam in specie retines, vel id in quo factus est ditor: ita ut, si in nihilo factus sis ditor, ad nihil teneris. At quando oritur ex injusta actione, teneris ad restitutionem, esto res pereat, nec factus sis ea ditor. *Secundum*, quod ex injusta actione teneris statim restituere, vel dum commode fieri possit; verum ex re accepta solum tempore præfinito inter partes, ut in venditione, aut deposito.

11. Quidam assignant aliam duplicem restitutionis radicem, videlicet *contractum*, & *sententiam judicis*. Sed, re presius inspecta, utraque reducitur ad duplicem supra assignatam, quia si est ex sententia judicis, oritur ex re, vel actione injusta, saltem *juridice*. Si ex contractu debetur, trahit originem ex re accepta. Ex re igitur accepta, & actione injusta, sive moraliter, sive juridice, sive physice, aut imputative oritur obligatio restituendi, vel reddendi unicuique quod suum est.

PUNCTUM III.

De culpa, ex qua oritur obligatio restituendi.

12. Inq. 1. Ex quali culpa oriatur obligatio restituendi? R. solum oriri ex culpa contra justitiam commutativam, quia solum ex violatione hujus justitiæ aufertur æqualitas alteri stricte debita. Unde ex culpa, seu injuria contra caritatem, pietatem, misericordiam, & reliquas virtutes, esto inde sequatur alteri damnum, præfata obligatio non oritur. Ideo omittens succurrere infirmo, aut extreme indigenti, aut cuiuscumque alio, quibus ex justitia non teneris, minime obligationem restituendi contrahis; licet ex tua omissione moriatur, aut aliud damnum patiat. D. Thom. a. 1.

13. Inq. 2. Quotuplex sit culpa restitutionem obligationem inducens? R. Dividi-

in primis in *theologicam*, & *juridicam*. Culpa *theologica* est peccatum, sive mortale, sive veniale. *Juridica* alia est positiva, ut omnis actio contra justitiam commutativam. Alia negativa, & est *omissio diligentie debita*. Deinde culpa juridica negativa est triplex, nempe *lata*, *levis*, & *levissima*. *Lata* est ommissio diligentie, quam homines talis status, aut professionis adhibere solent pro tali negotio: hæc culpa etiam appellari solet *latissima*, uti est dolus manifestus, ut si custos rei alienæ dormit, aut se dormire fingit: *latior* etiam solet dici, & est dolus præsumptus, ut si custos sciens, & potens impedire furtum, illud non impedit. *Levis* culpa est ommissio diligentie, quam prudentiores apponerent, ut si quis rem depositam, seu commodatam relinquit janua non clavi occlusa. *Levissima* est ommissio diligentie, quam prudentissimi, seu vigilantissimi adhibere solent: ut si in casu dicto januam clavi quidem cluserit, sed manu non tentat illam ad experiendam, num bene sit clausa.

14. Quando nulla ex his culpis adest, non datur obligatio restitutionis, exceptis tribus casibus infra referendis. Ideo, si puteum apertum relinquis in loco remotissimo; aut in eodem, vel simili loco ad feras capiendas laqueum paras, aut sagittas emittis, non teneris ad damnum, quod forte accidit. Econtra, si puteum apertum, vel laqueum paratum relinquis in loco, per quem homines, aut animalia transire solent, vel ignem prope domum, aut segetes accendes, neglecta diligentia debita, culpa juridicæ reus esses, & saltem in foro externo, totum damnum deberes restituere.

15. Tres excipiuntur casus, in quibus post sententiam Judicis, non ante eam, tenetur quis ad restitutionem. *Primum*, quando animal tuum alterius animal lædit, aut occidit, aut segetes conculcat, vel aliud damnum infert; teneris, aut animal tradere, aut damnum compensare, nisi animal tuum fuerit invasum, aut si ad feram, quam ligatum tenes, animal accedat, & lædatur. *Titul. Si quadruplex inest. Secundus*, si mancipium tuum absque tua culpa alterum culpabiliter lædat sine in persona, sive in ho-

nis,

nis, teneris, vel mancipium tradere, vel damna restituere. *Ex Inst. §. Domino*. Si autem servus tuus inculpabiliter lædat, uterque liber est a restitutione. *Tertius* casus est, quando ex domo tua aliquid projicitur in viam, & non fuerit proclamatum: esto damnum absque tua culpa illatum sit, si caput domus es, teneris ad duplum: si capiti vivo nocuit, debes solvere expensas curationis, & omne aliud damnum inde secutum. Si aliquid ex domo tua appensum est in via, & de facto decidens nocuit, teneris ad damni restitutionem: si vero non nocuit, is qui illud apposuit debet solvere decem aureos propter periculum, & caput familiaræ alios decem, si vidit, aut scivit: *L. 1. ff. de his qui deiciunt, vel offendunt.*

16. Ex dictis sequitur primo, quod, seclusis tribus enumeratis casibus, non tenetur restituere ille, apud quem res aliena perit ex casu fortuito: quia casus fortuitus est *inopinatus eventus, quem natura humana prævidere non potest*; idcirco similes casus sunt extra humanam prudentiam, ut si domum locatam habeas, & igne, aut tempestate destruat, si equum conductum recipias, & casu moriatur, vel a fure rapiatur, ad nihil teneris: nisi in casu, quo in pactum deducas te velle obligari etiam ad eventus fortuitos, vel nisi commodatarius ad alia usus fuerit re commodata, vel sit in mora culpabili reddendi eam tempore debito: quia tunc ad restitutionem tenetur, nisi forte res eodem modo peritura esset apud dominum, vel nisi debitor prudenter judicaret domino non displicere illum alium usum, vel moram.

17. Sequitur secundo, quod si dans operam rei illicitæ fuit causa damni, nec prævisi, nec intenti, nec ex sua actione per se secuti, non tenetur in foro interno ad ejus restitutionem: quia tale damnum non fuit illi voluntarium, sed omnino per accidens secutum. Aliud est in foro externo, de quo nunc præscindimus. Si autem damnum illud prævideres, ac intenderes, ad satisfaciendum adstringeris, quia tibi jam est voluntarium.

18. Sequitur tertio, quod ignorantia non solum antecedit, sed etiam conco-

mitans excusat ab onere restitutionis, ut si projicias sagittam adhibens omnem diligentiam, ne alteri damnum inferas, & tamen ita affectus, ut si scires hominem transire, eum occideres, transit homo, & occidis, ad restituendum damnum non teneris, quia hujusmodi occisio non est voluntaria, quidquid dicat hic Concina, a quo possumus inquirere, cur ipse astruit matrimonium contractum cum ignorantia concomitanti personæ esse invalidum, nisi quia deficit consensus actualis? Dicit igitur idipsum in præsentem, fatendo non dari consensum actualem ad homicidium, vel hoc non provenire a voluntate actuali.

PUNCTUM IV.

De qualitate culpæ requisitæ, ut inducat obligationem restituendi ex delicto.

19. Inq. 1. Ex quali culpa oriatur obligatio restituendi? R. 1. Quod obligatio legis restituendi materiam levem oritur ex culpa levi, ut si ex culpa levi inferas damnum leve, teneris sub levi illud restituere.

20. R. 2. Quod obligatio restituendi materiam gravem solum provenit ex culpa lata juridica, simul cum gravi theologia: quia ex natura rei obligatio ad pœnam gravem, seu quasi pœnam supponit gravem culpam, ergo ubi non adest culpa gravis, nequit ex natura rei adesse gravis obligatio ad pœnam, aut quasi pœnam gravem, qualis est restitutio, & consequenter solum ex culpa lata juridica simul cum gravi theologia oritur ejus obligatio.

21. Objic. 1. Ex culpa gravi nascitur obligatio gravis, ergo ex culpa levi oritur obligatio levis restituendi materiam gravem. R. neg. consequ. quia obligatio ad materiam gravem nequit ex natura rei esse levis, debet namque dari proportio inter materiam, & obligationem, ut cernitur in omni præcepto naturali.

22. Objic. 2. Qui occidit equum alterius, putans valere quinquaginta aureos, si valeat centum, ad centum tenetur; ergo qui occidit aliud animal putans valere duos regales, si valeat viginti-

ginti, ad viginti adstringitur. R. neg. conseq. quia in primo casu datur injuria gravis, qua supposita, ad totum damnum ex sua injusta actione securum tenetur. In secundo vero solum datur injuria, & culpa levis, ex qua nequit constringere obligatio gravis ex natura rei, & in foro conscientiae, si vera illa levis sit.

23. Inq. 2. An ex culpa juridica levi, aut levissima animo nocendi commissa oriatur obligatio restituendi? Vel, an advocatus, medicus, aut chirurgus apponens diligentiam debitam, omittens vero exactiorem, aut exactissimam animo nocendi teneatur ad restituendum damnum clienti, aut infirmo secutum? R. neg. quia ubi non datur influxus in damnum, non adest obligatio restituendi; sed in casu quaestionis non datur influxus in damnum, erg. nec obligatio restituendi. Pr. b. min. quia non datur influxus positivus, ut supponitur, alias nec imputativus; hic quippe solum datur in omissione contra justitiam, aut in omissione diligentiae debita ex justitia, erg. cum omisso diligentiae quaestionis praesentis tantum sit exactioris, aut exactissimae indebitae ex justitia, caret influxu etiam imputativo in damnum: proindeque immunitas est ab obligatione restituendi.

24. Nec valet dicere, quod talis obligatio non oritur praecise ex omissione, sed ex animo nocendi juncto cum omissione: Nam si ipsa omisso, saltem imputative, non influit, nec juncta cum animo quit influere; animus enim actus internus est, ideoque nisi supponat influxum in damnum, non subit obligationem restituendi, cum haec a solo influxu injusto damni oriatur.

25. Objic. 1. D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4. docet, quod si quis recto animo impedit, ne dignus acquirat beneficium, ut detur digniori, ad nihil tenetur; si autem impediatur animo nocendi digno, ad aliquod compensandum adstringitur, erg. pariter de omissione levi, aut levissima eodem animo commissa. R. quod D. Thom. adducitur hic extra chorum. Nam tantum loquitur de actione positive influente in damnum, non vero de omissione, quod est valde diversum, ut statim videbimus.

26. Objic. 2. Cum Concina ex auctoritate praefata sic arguente. Ex hac Angelica doctrina eruitur eandem actionem exteriori ex sola affectuum, animorumque diversitate in uno, secus in alio debitum *parere restitutionis*, erg. omisso levis, aut levissima ex animo nocendi debitum parit restitutionis. R. consequentiam non tenere. Concedimus actionem ex diversitate animorum esse justam, aut injustam, parereque saepe debitum restituendi, sed non tenet in omissionibus; alias omnis omisso contra caritatem ex animo nocendi pareret idem debitum, quod negat Concina cum aliis, esto inconsequenter. Cur enim omisso gravis contra caritatem ex animo nocendi non parit obligationem restituendi, si illam parit omisso levis, aut levissima juridica ex eodem animo orta? Si namque animus pravus junctus omissioni levissimae illam efficit injustam; pariter animus pravus alteri nocendi junctus omissioni gravi contra caritatem, illam constituit graviter injustam; haec per vos non parit obligationem restituendi, erg. nec illa. Igitur disparitas inter actionem, & omissionem consistit in eo, quod actio exterior praestat influxum positivum, ut fundamentum injustitiae, adveniente pravo animo, omisso vero, cum nullo praestet influxum positivum, solum tribuit imputativum in illis, qui ex justitia debent mala impedire. Qui ad hoc ex justitia non tenentur, nec restitutioni per omissionem adstringuntur.

27. Idem respondetur exemplis, qua pro exponenda contraria opinione adduci solent, ut de cenante calida affectu se nutriendi, vel se polluendi, & de recipiente latronem, vel ut talem, vel ut amicum. Haec, & similia nihil probant, cum vere afferant influxum positivum in effectum, qui proinde diversimode imputatur, accedente animo bono, vel malo: quod optime, sed non aliud quoad praesens, docet D. Thom.

28. Ex dictis sequitur, quod qui perpetraret delictum, praevidens ex hoc alteri securum damnum, idque vere intenderet, ad omnis damni restitutionem teneretur. Si autem id non intenderet, licet alteri imputandum ex aliorum malitia praevideret, solum teneretur restituere.

tuere innocenti, quod coactus est dare parti laesae, non vero totum damnum subire: quia non fuit causa, ut alteri delictum imputaretur, sed hoc provenit ex malitia aliorum: unde si propter homicidium injuste imputatum innocens ad mortem raperetur, non teneretur occisor se prodere, nisi, vel illius gladio uteas, vel illius pallio coopertus, homicidium perpetrasset, quia tunc jam fuit causa imputationis.

PUNCTUM V.

De culpa, ob quam teneatur quis ad restitutionem ex officio, aut ex contractu.

29. Inq. 1. Ex quali culpa teneatur quis ad restituendum ex officio? R. quod nec ex officio tenetur quis restituere ex culpa levi, aut levissima, sed tantum ex culpa lata simul cum gravi theologica: quia non tenetur ratione rei acceptae, ut supponitur, nec ex actione injusta: quia actio injusta non datur, ubi quis apponit diligentiam, quam adhibere solent prudentes in tali officio, erg. solum ex culpa lata, & non ex levi, aut levissima oritur obligatio restituendi ex officio.

30. Aliqui limitant primo, nisi quis promitteret apponere diligentiam exactiorem, aut exactissimam. Secundo, nisi assumat officium, vel locet operas circa res, quae summam diligentiam, & cautionem exigunt: tunc enim, ajunt, teneri restituere, etiam ex culpa levi, aut levissima. Quod licet verum contineat absolute; tamen juxta dicenda, in idem incidit: quia in his casibus omisso majoris, aut exactissimae diligentiae jam est culpa lata respectiva, quae in tali officio, negotio, aut circumstantiis vitari debet sub gravi.

31. Ex culpa igitur lata simul cum gravi theologica oritur obligatio restituendi in omni artifice, medico, chirurgo, Parocho, Confessario, avvocato, & caeteris cujuscumque professionis, ad quos pertinet resolutio, seu consultatio, si non apponant diligentiam juxta qualitatem negotii, ne damnum alteri ex sua operatione, aut consultatione sequatur;

Tom. I.

quia ex officio, & professione tenentur id scire, & in operando, aut respondendo errorem vitare. Excusarentur autem a restitutione, si solum dicerent se ita sentire, vel se dubitare, non suadendo, ut alter suum judicium sequatur, sed admonendo, ut alios peritiores consulat, quia tunc, si damnum consulenti adveniat, sibi, non consultori, imputare debet.

32. Inq. 2. Qualis culpa requiratur, ut sit obligatio restituendi ex contractu? R. nec ex contractu oritur talis obligatio in foro conscientiae, nisi ex culpa lata simul cum theologica gravi: quia nemo ex contractu tenetur majorem adhibere diligentiam in conservatione rei alienae, quam propriae, nec ex vi contractus aliquis obligatur ad majorem diligentiam, quam solent prudentes in tali materia adhibere, erg. solum ex culpa lata simul cum theologica oritur saltem in foro conscientiae obligatio restituendi. Unde sive contractus sit in commodum tui, sive in commodum alterius, sive in commodum utriusque, solum teneris restituere ex culpa lata, prout dictum est, sive ex omissione graviter culpabili illius diligentiae, quam prudentes in tali materia, & contractu adhibere solent, nec aliud disponunt, saltem pro foro interno, leges civiles, quae communiter adducuntur ab authoribus contrariae opinionis.

33. Sed ad concordiam revocabis utramque sententiam notando, quod culpa levis, aut levissima dupliciter accipi potest. Primo *absolute*: Secundo *relative*: culpa enim, quae in uno reputatur levis, in alio gravis evadit. Nam irreverentia, quae in aliis levis est, in filio respectu patris consurgit gravis: defectus, qui in saeculari levis judicatur, in religioso, Parocho, aut Episcopo sunt graves. Ita culpa, quae in uno contractu est levis, in alio, ubi major diligentia exigitur, erit gravis. Unde optime conciliatur, quod ex una parte non detur obligatio restituendi, nisi ex culpa lata; & ex alia dari talem obligationem etiam ex levi, aut levissima; quia haec in contractibus, qui majorem diligentiam postulant, est respectiva lata; quoniam tunc datur culpa lata, quando quis non ad-

Ooooo

habet

habet illam diligentiam, ad quam tenetur: multoties autem tenetur ad diligentiam exactiorem, aut exactissimam, ergo si illam omitat, tenetur ad restituendum ex culpa, quæ est absolute sit levis, respective tamen gravis, & lata est.

PUNCTUM VI.

De obligatione restituendi ex re accepta.

34. Inq. 1. Quis teneatur ad restituendum ex re accepta? R. quod tenetur ille, apud quem res existit, & dicitur possessor bonæ, vel malæ fidei: hic ante omnes alios restituere debet rem apud se repertam, si absque justo titulo eam possideat, quia res ubicumque sit, domino suo clamat.

35. Inq. 2. Quis sit possessor bonæ, aut malæ fidei? R. quod possessor bonæ fidei est ille, qui rem alienam accipit, aut retinet absque conscientia peccati mortalis, quia invincibiliter putat esse propriam, aut ignorat esse alienam; esto alias venialiter peccet circa negligentiam in tali notitia adquirenda: quia venialis culpa non tollit bonam fidem simpliciter, ut diximus agentes de præscriptione. Possessor malæ fidei ille est, qui vel scienter, vel sub dubio accipit, aut retinet rem alienam, vel cum ignorantia crassa, supina, aut affectata, ita ut in acceptione, vel retentione peccet graviter.

36. Inq. 3. Quid teneatur restituere possessor bonæ fidei? R. quod possessor bonæ fidei, quamdiu in bona fide perdurat, potest rem consumere, alienare, aut vendere, quia ejus dominus invincibiliter reputatur. Habita vero notitia rem esse alienam, sequæ obligatum ad eam domino restituendam, nec esse præscriptam, tenetur ipsam, cum prius commode valeat, domino tradere, vel in toto, si extet, vel in parte, aut id, in quo ditior factus sit. Quod verum est, sive illam contractu gratuito, ut per donationem, sive contractu oneroso, dato pretio, acceperis, quia res semper domini est. Nec iste tenetur dare tibi pretium, quia non tenetur rem suam emere, nisi tu prius, non tibi, sed in gratiam domini, eam a fure emeris.

37. Si, durante bona fide, rem consumpsisti, vel ipsa casu, vel etiam ex tua culpa pereat, vel eodem, aut minori pretio, quo emeris, vendidisti, ad nihil teneris; quia nec ex injusta actione, ut supponitur, nec ex re aliena, quæ non extat, obligaris. Si autem apud te existat, licet non in se, in suo tamen equivalente, quia in aliquo ex ea factus es ditior, ad hoc restituendum teneris: ut si rem dono accepisti, & eam vendidisti, totum pretium, deductis expensis, restituere debes. Si frumentum, aut vinum alienum consumpsisti parca tuis, si equo alieno iter egisti, si ex cibo alieno comedisti: in his, & similibus, id in quo factus es ditior, domino reddere teneris. In æquali dubio, an sis factus ex aliena re locupletior, pro rata dubii restituere debes arbitrio viri prudentis.

38. Si autem consumpsisti in ludo, vel in aliis rebus, in quibus alioqui nihil esses consumpturus, ad nihil teneris, quia in nihilo factus es ditior. Imo, si occasione rei alienæ splendidius viveres, ad nihil obligaris, quia esto occasione ejus statum mutaveris, in nihilo tamen factus es ditior. Addunt plures, non immerito, illum, qui bona fide hereditatem alienam possidens fecit de sua donis majores expensas, quam alioquin facturus esset, posse in restitutione detrudere expensas factas, quas non casus alioquin facturus. Sed hoc caute est accipiendum.

39. Inq. 4. An qui recipit, aut emit bona fide a fure res usu consumptibiles, ut vinum, triticum, oleum, vestem, aut quid simile, teneatur ad restituendam rem, si extet, aut id in quo factus est ditior? Quæstio autem est de fure potente aliunde restituere, nam si impotens sit, omnes asserunt debere restituere, vel id in quo factus est ditior; quod est commune omni possessori bonæ fidei. In præsentem vero idem tenendum de possessore malæ fidei cum differentia, quod hic totum, ille tantum id, in quo factus est ditior, debet, vel non domino reddere. Circa quam difficultatem triplex militat sententia. Prima affirmat. Secunda negat. Tertia distinguit, cum qua-

40. R. Si res usu consumptibiles per-

mix-

mixtæ sint cum aliis rebus latronis, ita ut in hujus dominium transierint, non tenetur ad aliquid domino restituendum eas emens pretio, aut gratuito a fure recipiens; secus vero dicendum si impermixtæ permaneant. Hæc secunda pars prob. quia res semper est domini, ubicumque fuerit, ergo ad quemcumque possessorem transeat, onere eam domino restituendi transit. Prima autem pars, in qua est præcipua difficultas, prob. quia recipiens, aut emens res prædicto modo permixtas, non recipit res prioris domini, qui dominium earum per commixtionem cum aliis furis amisit, sed recipit res ipsius furis, qui per commixtionem dominium illarum acquisivit, ergo eas sic recipiens, aut emens ad restituendum non tenetur.

41. P. Concina tom. 7. de just. pag. 60. num. 9. ait, hanc sententiam, quam cum aliis defendunt Salmanticenses, sibi esse probabilior, sed non tutam, quia dicit se non videre, cur hæc permixtio tantæ virtutis sit, ut spoliare priorem, dominum possit jure, quod habet. Sed in primis, si sententia hæc probabilior est, utique tuta in conscientia est; quia tuta conscientia possumus sequi opiniones probabiliores, nisi Concina velit subscibere tutoris. Deinde: eo ipso quod videt opinionem hanc esse probabilior, videt permixtionis virtutem. Præterea, en exemplum, quo videtur dominum adstringi ad restituendum per commixtionem. Si recipias a Petro pecunias custodiendas, easque impermixtas teneas, & pereant absque tua culpa, ad nihil teneris. Si vero eas cum tuis pecuniis admisceas, & pereant eodem modo, ad earum restitutionem adstringeris, quia dominium earum acquisisti; & domino respectivo in utroque casu perent, unde impermixtæ pereunt Petro, permixtæ autem tibi. En quomodo permixtio tribuit, & tollit dominium, & obligationem. Si ergo permixtio imponit obligationem restituendi, cur non liberabit a restituendi obligatione? Si potens est ad unum, cur non erit potens ad aliud? Vid. Cunil. tract. 9. de domin. cap. 2. §. 11. n. 4. & 5.

42. Idem est dicendum, si quis bona fide pecunias furtivas recipit a fure emen-

te suam rem, aut non furtivas pro equo alieno, quem bona fide vendit, nam si tales pecunias impermixtas conservet, tenetur illas vero domino comparanti tradere; at si jam eas permixtas cum aliis propriis habeat, non adstringitur illas ei reddere, propter supradictam rationem innixam legibus civilibus, quæ discernunt acquisitionem domini per commixtionem. Sed advertite, quod semper ac res aliena eadem numero ad te perveniat, ex jure natura teneris restituere domino saltem id, in quo factus es ditior. Imo si eadem apud te conserveatur, non sufficit reddere aliam similem, aut pretium, sed ipsa reddenda est, maxime, si dominus specialem affectum ad illam habeat. Nisi alias detur justa causa eandem ipsam non reddendi.

PUNCTUM VII.

De restitutione facienda a possessore malæ fidei.

43. Inq. 1. Ad quod tenetur possessor malæ fidei? R. Quod tenetur rem quantocius domino restituere, si extet; si autem eam consumpsit, vendidit, aut casu ipse perit, etiam absque ejus culpa, totum ejusdem rei pretium restituere debet. Insuper omne lucrum cessans, & damnum domino emergens satisfacere tenetur, ut si auferas equum, cum quo dominus esset lucraturus, aut alium condncere cogatur: idem est de nummis mercatori ablatis, ex quorum ablatione dispendium est passus, sive in lucro cessante, aut damno emergente, ad omnia restituenda teneris. Es enim per tuam injustam ablationem, aut retentionem causa omnis damni.

44. Inq. 2. An si res peritura esset apud dominum, teneatur restituere, qui eam rapuit? R. Tria esse certa circa hoc dubium. 1. quod si dubites, an peritura esset apud dominum, teneris restituere rem, aut pretium ejus saltem juxta æstimationem dubii, licet absque tua culpa apud te pereat. Idem est de depositario, aut debitore, qui fuerit in mora reddendi rem alienam. 2. quod licet constaret, quod res periisset apud dominum injuste, quia alius fur eam esset rap-

rap-

rapturus, non excusaris a restitutione, quia preveniendo furtum alterius, suscipis, aut prevenis onus restitutionis. 3. quod esto scias rem apud dominum casu fortuito, incendio, aut naufragio perendum, si tamen illam tibi subripuisti, teneris ad eam restituendam, si extet, vel ejus pretium: quia eam rapuisti, non ut domino servares, sed in tui commodum, ergo teneris restituere tam ex re accepta, quam ex actione injusta; quare, si casu apud te pereat, tibi imputare debes, quod per injustam acceptationem onus restitutionis subeas. Verum est, quod res tempore periculi, puta belli, minus valent, ideoque circa taxationem pretii, si ipsa perit, periculum præ oculis habendum est.

45. Si autem res ablata eodem tempore, ac periculo apud te pereat, ac esset peritura apud dominum, puta eodem naufragio, eodem incendio, eadem urbis devastatione, & similibus, non teneris ad restitutionem, quidquid dicat Concina, quia nullum damnum reale intulisti domino, cui non tam injusta actio tua, quam voracitas flammarum, aut furor maris rem devoravit; atque ideo ex tua actione injusta nullum damnum reale passus est, supposito, quod in eodem tempore, ac periculo eam amisisset. Solum ergo teneris restituere rem, vel pretium ejus, quando periculum non est commune, aut ab eo eam liberasti, ut si in urbis devastatione abscondisti rem alterius ab hostibus, aut eripuisti a faucibus feræ ovem Petri. In his, & similibus, in quibus res quocumque modo liberata est, debet restitui domino, secus, si in eodem periculo perit, ut dictum est.

46. Inq. 3. Quid restitui debeat pro re furata, quæ melior futura erat, si ante augmentum consumatur? R. quod si dominus non esset servaturus rem usque ad augmentum, solum debet restitui juxta valorem, quem in priori statu habebat, quia solum passus est damnum valoris, in quo eam consumpturus erat. Si autem dominus servaturus esset rem usque ad statum meliorem, debet restitui, non totum valorem melioris status, sed juxta spem illius valoris secundum æstimationem prudentum, quia dominus so-

lum hujus spei valore privatus est. Unde, si subripuisti pullum æquinum, vitulum, ægnum, aut incendisti segetes, vel vineas tempore, quo amplius postea valerent, sufficit restituere secundum spem hujus valoris. Verum, si res in viliori statu furata apud te crescat, debes illam cum omnibus melioramentis restituere, esto dominus non eam esset servaturus usque ad illud tempus; quia res cum suis melioramentis domini est, & domino crescit.

47. Inq. 4. An si res in viliori statu furata apud te crescat, & postea ad deteriorum statum perveniat, teneris restituere secundum majorem valorem, quem apud te habuit? R. tria in hac difficultate ut certa esse supponenda. 1. quod si dominus servaturus erat rem usque ad incrementum, teneris juxta hujus valorem restituere. 2. quod si res apud te habuit decrementum, quod apud dominum subitura non esset, teneris eodem modo secundum meliorem statum restituere; ratio utriusque est: quia in primo casu datur lucrum cessans, & in secundo damnum emergens, quod domino compensare adstringeris. 3. quod si rem distraxisti, aut consumpsisti tempore decrementi, in quo etiam dominus consumpturus erat, solum hoc pretium vilius teneris restituere, quia solum in eo damnificatus est dominus. Difficultas est casu, quo consumpsisti, aut vendidisti tempore incrementi rem, quam dominus in valore minori esset consumpturus, an debeas restituere?

48. R. affirm. quia valor rei adhæret rei, seu est ipsa res æquivalenter, ergo sive ab intrinseco, sive ab extrinseco rei adveniat, teneris restituere valorem, sicut ipsam rem cum melioramentis.

49. Objic. 1. Restitutio solum obligat juxta damnum, quod domino inferitur, ergo supposito, quod rem consumpturus erat in viliori statu, non tenetur fur ad majus pretium restituendum. R. quod, supposito incremento rei, vel ejus valoris, novum damnum inferitur domino, qui jus habet ad suam rem cum novo incremento, quod proinde illi restitui debet.

50. Objic. 2. Vendere rem hoc, vel alio tempore est fructus industrie, ergo major valor non est domini, sed vendi-

dentis. R. antecedens esse verum in aliquibus rebus, ut postea dicemus, sed non in omnibus. Certum autem est, saltem incrementum intrinsecum rei non esse fructum industrie, sed ipsius rei.

51. Objic. 3. Si mutuo triticum accipias, sufficit tantundem reddere, esto incrementum in valore ei adveniat, ergo idem in presenti. R. neg. cons. q. quia hæc natura mutui est, quod idem in specie reddatur, sive crescat, sive decrecat in valore, si bona fide contractus fiat: non ita in furto, ubi res cum suo valore domini est, cui proinde competit fructus, & utilitas ex ea proveniens; imo etiam in mutuo pecunie non tam res, quam ejus valor attendi debet, ne reddatur minus, quam acceptum est. In his contractibus debent fieri pacta clara, & expressa ad jurgia, & litigia vitanda.

PUNCTUM VIII.

De possessore dubie fidei.

52. Inq. 1. Quis sit possessor dubie fidei, & ad quid teneatur? R. quod possessor dubie fidei est ille, qui, vel a principio accipit rem dubitans, an sit furata, vel, qui ab initio bona fide rem accipit, & postea sub oritur dubium, an sit aliena. Primo modo accipiens, ut eam sibi retineat, graviter peccat, quia exponitur periculo alienam rem, invito domino, possidendi, cooperandique peccato furis eam vendentis. Quare nullus potest accipere, nec emere a sartoribus, famulis, filiis familias, & similibus res, quas prudenter suspicantur, aut dubitant furto esse sublatas. Si autem eas accipiat, aut emat, tenetur sufficientem adhibere diligentiam ad inquirendam veritatem, an sint alienæ: quo cognitum, debet totum domino reddere, etiamsi, dato pretio, comparaverit.

53. Si facta diligentia, non inveniatur dominus, tunc, vel probabilius apparet rem esse alienam, quo in casu debet in pauperes distribui, aut in sacrificia pro domino donari cum fructibus naturalibus, & mixtis, deductis expensis, vel remanet dubium æquale, quo in casu dividenda est cum dictis fructibus inter possidentes, & pauperes, vel cum eo, de

quo dubiatur, an sit dominus, si compareat.

54. Verum, si dubitans rem esse alienam recipit, non animo eam sibi retinendi, sed inquirendi dominum, eoque comperto, illi tradendi, non peccat, nec tenetur de casu fortuito, solum tenetur debitam adhibere diligentiam pro inquirendo domino, cui, si compareat, suam rem tradere debet, deducto pretio, quod pro illa dedit juxta infra dicenda. Si autem dominus non compareat, debet, vel totam, vel partem in pauperes, aut sacrificia distribuere secundum diversitatem dubii, ut diximus num. præced. Si, adhibita morali diligentia, dominus non appareat, & dubium cesset, sibi retinere eam valet, quia jam evadit possessor bonæ fidei.

55. Qui secundo modo est possessor dubie fidei, hoc est, accipiens, vel emens rem ab initio bona fide, dubitat vero postea, an sit aliena, tenetur ad inquirendam veritatem adhibere diligentiam, qua adhibita, si dubium grave adhuc persistat, debet pro rata dubii domino reddere, vel eo non comparente, pauperibus partem distribuere, ut suæ conscientiæ satisfaciat. Si omittit diligentiam dominum inquirendi, tenetur restituere rem, aut pretium ejus, si eam vendidit, aut distraxit pro quantitate dubii; sua enim negligentia privatur dominus spe saltem dubia, quæ compensari debet. Durante dubio, nullus potest uti re, quæ usu consumitur, frustra quippe inquireretur dominus, ipsa consumpta: potest tamen possessor uti rebus, quæ usu non consumuntur, ut mancipiis, aut equis, paratus solvere domino pretium usus, deductis alimentis. Quando probabilis apparet rem esse alienam, debet aliquid amplius restituere juxta majorem propensionem arbitrio prudentum.

PUNCTUM IX.

De fructibus, & expensis in restitutione deducendis a possessore bonæ, vel malæ fidei.

56. Inq. 1. Quotuplex sit genus fructuum. R. esse triplex: Nam alii sunt pure naturales: alii pure industriales: Ppppp alii

alii mixti ex naturalibus, & industrialibus. Fructus naturales sunt, qui ex re absque industria humana proveniunt, ut herba pratorum, glandes quercuum, & plures foetus. *Industriales* sunt, qui ex industria comparantur, ut fructus pecuniae, negotiationis, asportationis mercium. *Mixti* sunt, qui partim a natura, partim ab industria oriuntur, ut fructus vinearum, agrorum, animalium domesticorum, navium, & similia. Si in fructibus his mixtis natura praevaleat, naturales, si industria, industriales reputantur. Si dubium circa hoc occurrat, arbitrio prudentum, vel iudicis standum est.

57. Inq. 2. Quos fructus possessor bonae fidei restituere teneatur? R. teneri restituere fructus naturales, si extant, si vero consumpti fuerint, id in quo factus est ditior; quod verum est etiam, si dominus illos alias percepturus non erat: quia res semel quod fructificet, domino fructificat. Unde fructus in alieno agro a te perceptos, lucrum in aliena domo locata, idem de torque aurea divitis, aut ex equo, aut bove alterius conducto, esto dominus haec locaturus, aut conducturus non esset, nec soleat, teneris restituere, si extant, vel id in quo factus es ditior, nisi tempus praescriptionis transierit. Jure Caspella ex fructibus mixtis, qui non extant, possessor bonae fidei nihil tenetur restituere, ut habetur *lib. 39. tit. 28. p. 3.*

58. Fructus pure industriales nullus restituere adstringitur, quia sunt fructus industriae, non rei, sunt ergo illius cuius est industria. Unde pictura penicillo alieno a te depicta, lucrum ex alienis pecuniis, aut ex asportatione mercium alterius a te comparatum, tua sunt; item fructus orti ex semine alieno a te in tuo fundo seminato, quia censentur fructus agri, & tuae industriae, non seminis, quod moritur, & perit.

59. Inq. 3. Quos fructus restituere debeat possessor malae fidei? R. debet restituere omnes fructus naturales, & mixtos, sive extant, sive perierint, sive ditior factus fuerit, sive non, sive rem retinuerit, sive alienaverit; quia omnes huiusmodi fructus pertinebant ad dominum, qui per injustam actionem eis pri-

vatus est. Idem teneas de possessore bonae fidei, conscio facto, rem esse alienam, & de debitore, aut depositario moroso. Unde furans pecunias negotiationi, aut reparations domus expositas, aut instrumenta artificii, ad omne lucrum cessans, & damnum emergens compensandum tenetur. Fructus, quos dominus percepturus non erat, restituere non tenetur fur, qui eos non percipit, quia in hoc nullum damnum ei intulit. Quos vero fur percipit, restituere debet; quia ut dictum est, res domino fructificat. Pretium rei furatae, nec supremum, nec infimum, sed medium est restituendum.

60. Inq. 4. Quotplex sit genus expensarum? R. Esse triplex: aliae sunt *necessariae*: aliae *utiles*: & aliae *voluntariae*. *Necessariae* sunt, sine quibus res deterioraretur, aut non conservaretur, ut alimenta, aut custodia animalium, aut refectio domorum, & cultura agrorum. *Utiles* sunt, quibus res melioratur substantialiter, ut vitum, & olivarum plantatio, aut gregis augmentatio, & quidquid in rei utilitatem cedit. *Voluntariae* sunt, quae solum recreationi, aut voluptati deserviunt, ut picturae, & viridaria.

61. Inq. 5. Quae expensae deduci possint in restitutione? R. posse detrahi omnes expensas necessarias, & utiles, esto dominus non esset eas factururus, si vere res meliorata sit; quia non est consonum aequitati, dominum ob restitutionem lucrum portare, & non esse contentum cum aequali suae rei satisfactione, erg. Si vere res meliorata sit, possunt juste deduci praedictae expensae a possessore sive bonae, sive malae fidei: quod si dominus nolit eas solvere, poterit res in pignus detineri, nisi dominus sine eis rem suam esset conservaturus, quo in casu solus possessor bonae fidei potest eas detrahere: vel nisi expensae excedant fructus, tunc enim neutri possessori tenetur dominus omnes illas solvere, quia in eo casu non cedunt in utilitatem domini, nec iste cogendus est rem suam carius emere. Denique ab utroque possessore non amplius est detrahendum, quam eorum labor, & industria aestimatur, licet melioratio rei plus valeat; quia rei melioratio ad dominum pertinet. Unde solum est

est attendendum ad id, quod circa illam est impensum, non ad rei valorem.

62. Inq. 6. An detrahi etiam possint expensae voluntariae? R. si vere res ex eis pretiosior fiat, possunt detrahi a possessore bonae fidei, quia saltem respectu istius non est ratio, cur dominus in restitutione lucrum reportet. Similiter in dicto casu aequum est, ut aliquid solvatur possessori malae fidei; si tamen nolit dominus, sibi imputet iniquus possessor amissionem earum, quas volens fecit, debens eam praevidere. Si separari valeant, uterque potest eas detrahere: ut si horologium aedibus est affixum, potest subtrahi ab utroque possessore. Si denique nullam meliorationem expensae rei tribuant, a neutro valent deduci; quia dominus non est cogendus emere, quod forte ei non placet.

P U N C T U M X.

De emente, aut vendente rem alienam.

63. Inq. 1. An emens bona fide rem furtivam rescindere possit contractum, ut suum pretium recuperet? R. si moraliter sis certus a latrone eam esse domino restituendam, omnes conveniunt te posse recuperare pretium, reddendo latroni rem furtivam. Similiter est exploratum, quod si tu facile possis pretium a fure recuperare, teneris rem tradere domino, quia tunc posses dominum, & te indemnes conservare. Tandem supponitur, quod si rem a fure dono accepisti, teneris reddere eam non furi, sed domino, cuius est. Difficultas consistit, an quando aliter non vales pretium recuperare, possis rescindere contractum, reddereque furi rem, ne amittas pretium a te solutum? Igitur:

64. R. affirm. prob. *primo*: quia nullam injuriam domino irrogasti rem bona fide a fure emendo, erg. nec ei illam irrogas, si rem in eodem statu reponas, in quo erat antea. Quemadmodum si rem inventam in platea tibi accepisti, postea vero sciens tibi esse damnosam, in eodem loco reponas, ut tibi consulas, nullam facis injuriam domino: in aequali enim periculo, aut dispendio tibi consulere debes, potius quam domino. *Se-*

cundo: quia hic contractus est omnino involuntarius, ut omnes fateantur; sed contractus involuntarius est nullus, vel saltem rescindibilis pro arbitrio ejus, qui decipitur est, erg. in foro conscientiae, de quo loquimur, potest rescindi ab emptore bonae fidei.

65. Objic. 1. Si possessor rem furi reddat, cooperatur ejus iniquae retentioni; scit enim non redditorum eam domino, erg. R. neg. ant. emptor enim utitur jure suo, ut se indemnem conservet; nec suadet alteri, ut non restituat, sed potius per contractus rescissionem, dat occasionem, ut restituat, nec amplius retineat.

66. Objic. 2. Si fur venditor non compareat, tenetur emptor rem domino reddere, etiam cum jactura pretii, erg. Similiter ipso praesente. R. Quod si latro non compareat, non datur quaestio, nemo enim ambigit rem esse domino reddendam, quia nec ipsa potest reponi in eodem loco, nec contractus rescindi: quando vero haec fieri possunt, jus habet emptor innocens se indemnem conservandi; Nemo enim tenetur cum detrimento proprio aequali alteri consulere.

67. Non tamen admittimus, quod aliqui asserunt, etiam illum, qui mala fide rem emit a fure, posse rescindere contractum, reddereque illam furi, ut pretium recuperet: quia hic ob malam fidem, qua rem iniuste emit, in se transulit obligationem restituendi, quam fur habebat. Unde, sicut fur tenetur ex re accepta, ac ex injusta actione ad eam domino restituendam, ita ipse. Qui bona fide rem emit a latrone, & bona fide alteri vendidit, solum tenetur reddere domino, si in aliquo factus est ditior ex ipsa re, secus si in nihilo factus sit ditior; quia ad hoc, & non amplius tenetur possessor bonae fidei, qui rem consumpsit, distraxit, aut vendidit. Emptori autem compensare debet id, in quo ex sua venditione damnificatus fuerit: sicut vendens rem vitiatam, aut argentum pro auro tenetur satisfacere emptori damnum, quod ex deceptione passus est.

68. Hinc inferas illum, qui monetam falsam, etiam bona fide, alteri in contractu tradit, cognito errore, debet damnnum illatum compensare, quia minus de-

dedit, quam debebat. Quid autem faciendum, si ille, cui dedisti in pretium monetam falsam, non cognoscatur, aut non compareat? R. Debere tantumdem in pauperes, aut in sacrificia distribuere in utilitatem spirituales ejus, qui dispendium temporale subierit; potest enim illud subire forte non immediatus, sed mediatu acceptor. Nemo igitur monetam falsam, esto in pretium deceptus accipiat, potest alteri in contractu tradere, sed continuo debet, vel projicere in flumen, vel in aliam rem transmutare, ita ut naturam, aut speciem monetæ penitus amittat.

69. Inq. 2. An qui rem alienam majori pretio vendit, teneatur incrementum domino reddere? R. Quod si incrementum proveniat ab ipsa re immutata in substantia, aut circumstantiis loci, & temporis, restituendum esse domino: quia sic incrementum est fructus ipsius rei, non industriæ. Si autem res asportata sit industria possessoris in alium locum, vel reservata in aliud tempus, ubi, & quando plus valet, incrementum restitui non debet, quia est fructus industriæ. Unde incrementum rerum consumptibilium, ut pecuniæ, frumenti, vini, & olei fructus industriæ reputatur.

70. Inq. 3. Quot deantur differentiæ inter possessores bonæ, & malæ fidei? R. Dari saltem sex 1. Quod possessor bonæ fidei solum debet restituere rem, vel id in quo factus est ditior; ita ut, si res perierit etiam sua culpa, ad nihil tenetur: possessor vero malæ fidei debet restituere rem, vel pretium ejus, quomodocumque pereat cum lucro cessante, & damno emergente. 2. Eadem differentia datur inter utrumque possessorem circa restitutionem fructuum naturalium, & mixtorum, cum advertentia supra posita, quod jure Castellæ nihil tenetur restituere possessor bonæ fidei de fructibus jam consumptis, licet ex eis ditior factus sit. 3. Quod possessor bonæ fidei potest detrahare expensas etiam voluntarias, ex quibus res meliorata est, secus vero possessor malæ fidei. 4. Quod possessor bonæ fidei potest præscribere tempore per legem assignato, non vero possessor malæ fidei. 5. Quod possessor bonæ fidei valet rescindere contractum ad

rem suam recuperandam, minime autem possessor malæ fidei. 6. Quod possessor bonæ fidei potest juste rem suam moderate defendere, non sic possessor malæ fidei.

PUNCTUM XI.

De obligatione restituendi ob injustum impedimentum boni alieni.

71. Inq. 1. An impediens bonum alterius ad restitutionem teneatur? Pro resolutione notandum est primo, quod dupliciter potest quis impedire bonum alteri. Vel *juste*, quia indignus est tali bono, aut beneficio, quo in casu nulla est obligatio restituendi; & idem est, si impediens, ne beneficium conferatur digno, relicto digniori; agens enim juxta intentionem Ecclesiæ, & justitiæ. Vel *injuste*, ita ut absque ulla causa impediens alterius bonum, & hoc etiam bifariam potest accidere, vel solum precibus, aut suasionem, vel vi, dolo, aut fraude. Notandum est secundo, quod dupliciter etiam potest aliquis sperare bonum, aut beneficium; vel enim sperat illud solum ex voluntate libera conferentis absque ullo jure ad illud: vel habendo jus in re, vel ad rem ad illud, quia ipsi erat debitum ex justitia. Quibus prænotatis:

72. R. 1. Impediens efficaciter bonum, ad quod alius jus in re, vel ad rem habebat, esto solum precibus, aut suasionem impediens, tenetur ad restitutionem, quia violat jus alterius, ergo juxta violationem juris ad resarciendum adstringitur, vel in parte, vel in toto, secundum quod fuit causa efficax, ne alter consequeretur, vel attempta certitudine, si collator erat omnino determinatus ad dandum, vel spe majori, aut minori, si ita determinatus non erat. Si vero ipsum candidatam suasionem, aut precibus absque vi, aut dolo avertas, ne se opponat, aut illud procuret, ad nihil tenetur. Idem est, si artificie eodem modo suadeas, ne laboret, quia ex sua voluntate uterque abstinere. Si vero candidatam, artificem, aut alium vi, seu dolo avertas a procuracione, seu a labore, tenetur ad damnum restituendum, quia injuste privas illos jure ad beneficium, aut

lu-

lucrum ex procuracione, aut labore acquirendum.

73. R. 2. Impediens alterum vi, dolo, aut fraude a consequendo bono, ad quod non habebat jus, sed erat in proximo, ut illi daretur, ad restitutionem tenetur juxta quantitatem spei, quia licet non haberet jus ad illud, habet tamen jus, ne injustis modis impediatur ab illo consequendo. Si injuste impediens, quod Petrus adimpleat promissionem gratis factam Paulo, vel eleemosynam dandam pauperi, aut hæreditatem, seu legata relinquenda Joanni, seu ingressum candidati in religionem, vel quodcumque beneficium, seu donum alteri dandum, etiam ex mera voluntate conferentis, tenetur, prout dictum est, ad restitutionem. Secus, si impediens solis precibus, aut suasionem, absque ulla vi, dolo, aut fraude. Adverte tamen casum de quo agitur *Clem. I. de privilegiis*, ubi sub comminatione mortis eternæ prohibetur religiosis, ne retrahant etiam sine vi, & dolo testatores a legatis faciendis Ecclesiæ matri, in quo, si secus agant, quod absit, esto peccent graviter, ad restitutionem tamen non tenentur, quia contra justitiam non operantur.

74. Inq. 2. An in casibus, in quibus diximus, te non teneri ad restituendum, quia sine vi, aut dolo retraxisti collatorem eleemosynæ, beneficii, aut legati indebiti, teneris ad illam, si pravo animo alteri nocendi id efficias? R. affirmative: quia juxta a nobis dicta potest animus internus pravus ita conjungi cum opere externo, ut opus externum, quod sine illo injustum non erat, cum illo injustum reddatur, & sic obligare ad restitutionem.

75. Inq. 3. An qui absque fraudibus, dolo, minis, aut mendaciis impedit, ne fisco bona per sententiam judicis applicentur, teneatur ad eorum restitutionem? R. negativè; quia fiscus non habet jus ad talia bona nisi post sententiam legitimam, erg. hac non secuta, non datur obligatio restituendi. Unde mulier adultera, cujus dos post judicis sententiam marito applicanda erat, si absque fraudibus, vel mendaciis impediens, ne sententia proferatur, dotem marito dare non tenetur. Si vero, prolata jam sen-

Tem. I.

tentia, impediens, vel fisco bona, vel dotem tradi marito, absdubio ad restitutionem adstringeris.

76. Circa bona communia particularibus distribuenda dicendum est, quod si distributio pendeat solum a voluntate distribuentis, & solum precibus, aut suasionem impediens, ne huic applicentur, sed alteri, ad nihil tenetur; si autem distributio faciendâ esset inter tales virgines, aut personas hujus familiæ, aut urbis, seu habentes tales qualitates, & tu aliquam illarum impediens, etiam absque vi, aut dolo, tenetur ad restituendum, quia tunc collator tenetur distribuere talia bona, nedum ex justitia distributiva, sicut in primo casu, sed etiam ex commutativa; cum singule virgines, aut persone jus habeant ad illa, ergo, violata hæc justitia, consurgit obligatio restituendi tum in collatore, tum in suasore. Idem teneas potiori ratione de suadente conferri beneficium ecclesiasticum digno, relicto digniori.

PUNCTUM XII.

De his, qui ad restitutionem adstringuntur.

77. Inq. 1. Qui teneantur ad restitutionem? R. Quod ad restituendum tenetur *quis*, & ceteri contenti sub hac particula *quis*, & sunt novem genera causarum, seu personarum, quæ in his versibus comprehenduntur.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus.

Participans, mutus, non obstant, non manifestans.

78. *Quis* denotat executorem, seu illum, qui damnificat, sive furando, sive ignem applicando, sive alio modo damnum inferendo. *Jussio* indicat illum, qui ut superior mandat damnificare, ut pater mandans filio, vel superior subdito. *Consilium* denotat consiliantem contra justitiam commutativam. *Consensus* suffragium ferentem contra eandem justitiam. *Palpo* innuit illos, qui laudant malefactorem, vel offensum irridere, ex quo hic, aut ille moventur ad aliquid injustum faciendum. *Recursus* significat receptorum, seu recipientes malefactores, ut tales,

Qqqq ex

ex quo illi ad sua maleficia prosequenda incitantur. Si autem non ut tales, sed ut amici, consanguinei, vel alio honesto titulo recipiantur, non datur obligatio restituendi. *Participans* dicitur, qui participat in actione injusta, aut in praeda. *Mutius* denotat illos, qui ex justitia tenentur loqui, & tacent, ut testis legitime interrogatus à Judice. *Non obstantis* indicat illos, qui ex justitia debent damna impedire, & non impediunt, ut Judices, Prælati, Gubernatores, & alii. *Non manifestans* denotat illos, qui ex justitia adstringuntur ad latrones, vel malefactores declarandos, & omittunt eos denunciare, ut custodes, & alii ministri justitiæ, seu reipublicæ.

79. Inq. 2. Quomodo præfata causæ ad restitutionem teneantur? R. Quod aliquæ tenentur ut causæ physicae, velut executor damni, & omnes ad illud physice cooperantes; aliæ ut causæ morales; ex quibus sex priores directe, & positive concurrunt ad damnum, & tres ultimæ solum indirecte, & privative, nempe omitendo loqui, impedire, aut denunciare. Omnes tamen ad restitutionem tenentur, quando causæ efficaces damni per suum concursum existunt: quia per injustam actionem, seu omissionem justitiæ commutativæ violatores evadunt. Contrarium est proscriptum ab Ecclesia in prop. 39. damnata ab Innocent. XI. quæ dicebat: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Vide D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 7.

80. Inq. 3. Quem influxum præbere debeant præfata causæ, ut ad restitutionem teneantur? R. Influxus debet esse efficax, ut ex eo onus restituendi oriatur. Unde infertur 1. Quod si alius omnino paratus erat, suadens non tenetur ad restitutionem, quia supposito pravo animo alterius, influxus moventis inefficax est. Unde, qui parato ad malum inferendum annuit, licet peccet contra caritatem, & forte etiam contra justitiam; a restitutione liber est; quia alter non ex tuo assensu, sed ex sua malitia motus est ad damnum causandum.

81. Infertur 2. Quod suadens minus malum parato majus exequi nihil tene-

tur restituere, si suasio sit respectu ejusdem damnificati, ut si parato furari a Petro centum, vel illum occidere, suadeas, ut ei tantum quinquaginta subripiat, vel eundem vulnere; quia in hoc potius faves, quam dampnificas Petro. Si vero ipse adjuvares ad minus malum, obnoxius fores restitutioni, quia esses causa efficax damni. Similiter, si parato occidere Petrum consulas, ut lædat Paulum, quia es causa hujus læsionis.

82. Infertur 3. Quod si solum partem consulisti, aut mandasti, teneris regulariter tantum ad illam partem, ut si consulisti, quod quis quinquaginta furaretur, & ipse centum furatus est, tantum ad quinquaginta adstringeris. Vel si parato furari quinquaginta suades, ut centum foretur, ad sola quinquaginta teneris, quia horum dumtaxat causa fuisti, cum alius jam ad alia quinquaginta paratus firmiter esset. Nihilominus, aliquando consulens, seu mandans grave damnum, si majus ab executore perpetraretur, difficile a toto restituendo liberabitur. *Nam cap. 15. Qui mandat de homicidio in 6. decernitur:* jubentem verberationem, ex qua sequatur homicidium non intentum, sed fortuito respectu mandantis, incurrere irregularitatem. Igitur mandans damnum grave, ex quo aliud majus sequitur, non omnino liber est a toto resarciendo. E contra mandans quidquam licitum, ex quo nullum damnum prudenter timetur, aut prævidetur, immunis est a restitutione, esto fortuito sequatur, ut patet ex cap. *Dilectus*, ubi liber a censuris declaratur capellanus insidens equo, qui fracto freno, & sessore dejecto, irruit in mulierem, atque infantem, quem illa gestabat, oppressit.

83. Infertur 4. Illum, qui consulit, aut mandat, aliove modo movet executorem, ut damnum inferat, teneri, dampno secuto, ad ejus restitutionem, etiam si alius simili modo esset influxurus, est enim velut latro preveniens alium latronem, qui sicut prevenit furum, ita prevenit peccatum, & obligationem ex eo ortam: ille ergo, qui primus ad damnum influxit, suscipit in se onus restitutionis. Qui certus est suum consilium, mandatum, aut motionem nullum influ-

xum

xum præbuisse in damnum, a restitutione liber est.

84. Inq. 4. An alium paratum ad malum committendum movens, ut celerius, aut gravius exequatur, teneatur ad totum restituendum? R. Sub distinctione, vel enim alius paratus est illico perpetrare malum; vel post aliquod tempus, dies, aut hebdomadam. Si primum, solum tenetur movens ad illud majus, in quod suo influxu excitavit, quia solum respectu illius excessus est causa efficax. Si secundum, tenetur ad totum, quia cum voluntas humana mutabilis sit, & hodie nolit, quod heri voluit, excitans, ut nunc fiat malum, quod forte postea non fieret, causa est totius damni, ergo tenetur ad totum, semper ac inter executionem, & animum pravum tantum temporis spatium interveniat, quo voluntatis humanæ mutatio sperari moraliter posset.

85. Inq. 5. An qui dubitat num ex suo influxu, consilio, vel mandato secutum sit damnum, ad restitutionem teneatur? R. Quod si dubitet de consilio, mandato, aut influxu, liber est a restitutione; quia nullus præsumitur malus, nisi probetur, & tunc melior est conditio possidentis. Si autem, posito consilio, mandato, seu influxu, dubitet, an damnum secutum sit, vel esto sequatur, an suus influxus fuerit efficax, vel aliunde provenierit, tenetur pro rata dubii restituere; quia, posita injusta actione, certo constat de tuo crimine, tibi que incumbit probare immunitatem: unde venditor jactus retis, si jacere noluerit, præstare debet estimationem eventus incerti, quia vendens jactum in se suscipit periculum jactus. *Ex leg. Si jactum 12. ff. de act. empt.*

86. Objic. Possessor bonæ fidei, si dubitet de re possessa, etiamsi dubium perseveret, non tenetur eam tradere, ergo nec mandans, aut consilians in dubio damni a se illati. R. nego consequentiam, posito consilio, aut mandato injusto, equiparatur consilians, aut mandans possessori malæ fidei, qui pro rata dubii debet restituere; nec antecedens est omnino verum, tenetur enim possessor bonæ fidei restituere, etiam pro rata dubii gravis, si non deponatur.

87. Inq. 6. An qui suo exemplo occasio, ut alii furentur, aut aliud damnum inferant, teneatur ad restitutionem? R. negat. quia licet peccet contra caritatem, non vero contra justitiam. Solum autem causa influens contra justitiam onus subit restituendi. Verum si pravo animo alios excitandi ad damnum inferendum iniquum exemplum tribueres, non es liber ab injustitia, nec a restitutione; quia jam illa actio externa conjuncta cum iniqua intentione interna evadit injusta, moralem influxum confereas in damnum intentum, supposito malo exemplo excitativo simul cum pravo animo.

PUNCTUM XIII.

De causis ad damna positive influentibus.

88. Inq. 1. Quæ sint causæ ad damnum positive influentes? R. esse sex, & comprehenduntur in sequentibus: *Fussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans.* Ex his quinque priores moraliter influunt; sexta autem, nempe *participans* physice concurrunt. Omnes nunc fusius, quam supra sigillatim explicare libet duplici paragrapho cum D. Thom. art. 7.

§. I.

Fussio, consilium, consensus.

89. *Fussio* comprehendit omnes, qui mandant fieri damnum, ad quod alius paratus non erat, sive jubeat ut superior, sive non, sive explicite, ut *fac hoc*, sive implicite dicendo: *gauderem, quod hoc fieret: quis me vindicabit?* Sive signis, aut nutibus innotescens inferiori gratum sibi fore, si talem injustitiam committat. Sic gravissime peccavit Henricus II. circa mortem S. Thomæ Cantuariensis Episcopi. Igitur mandans quocumque modo tenetur ad restituendum damnum ex suo mandato secutum. Nisi mandatum revocaverit, & revocatio efficax ad mandatarium perveniat. Nam hoc modo revocato mandato, si nihilominus sequatur damnum, jam non ex suo mandato, sed

sed

sed ex malitia exequentis oriretur.

90. Inq. 2. An, qui ratum habet damnum suo nomine factum, teneatur ad restitutionem, si nullum influxum ad illud antea præstitit? R. Neg. quia ubi nullus est influxus ad injustitiam, nulla adest obligatio ad restitutionem. Esto enim ratihabitio retro trahatur, & mandato comparetur quoad peccatum, vel quo ad forum externum, vel quoad incursionem censuræ in percussione clerici, vel denique quoad contractus confirmationem: non vero quoad restitutionis obligationem, quæ solum ex influxu in damnum proficiscitur. Si vero ex tua ratihabitione alius moveretur ad continuandum damnum, vel ad non restituendum, jam deberes restituere ex influxu interpretative præstito. Similiter ad restitutionem adstringitur, qui agnoscens alterum paratam esse in gratiam sui damnum inferre, & non impediat, si possit, cohibendo, vel significando sibi minime id gratum esse; quia quilibet tenetur ex iustitia impedire, ne nomine suo, & tanquam sibi gratum proximo damnum inferatur. Alias censetur tacite velle, ejusque taciturnitas, approbatio seu consensus reputatur. Quæ omnia intellige dum a malefactore talis approbatio, seu consensus percipitur. Si enim nullo modo percipiat, nullum influxum confert in damnum, nullaque proinde obligatio adest restituendi.

91. *Consilium* denotat illos, qui consilium præbent ad malum scienter, sive ex ignorantia culpabili, & eos, qui petunt, rogant, suadent, aut blanditiis inducunt ad damnum secutum efficaciter ex sua motione: qui omnes ad restitutionem tenentur, nisi illam omni via possibili revocent, revocationeque innotescat consiliario. Sed revocatione etiam posita, adhuc est difficultas. Proqua:

92. Inq. 3. An consiliator, revocato consilio, teneatur ad restitutionem, quando consiliarius, esto conscius de revocatione, executus est damnum? R. 1. Si consilium fuit falsæ innixum historiæ, ut quod occidas Petrum, quia hic interfecit fratrem tuum, si consiliator revocet consilium, certiore te faciens se falsum dixisse, ad nihil amplius teneris. Similiter si alius querat a te, an teneatur restituere, & respondeas falso

non teneri; sed deinde illum moneas, te deceptum fuisse, ac vere ad restitutionem se teneri, liber es a restitutione, esto alter non restituat, quia non ex tuo consilio, sed ex sua malitia omittit restituere; simplex enim consilium simpliciter revocatione eliditur.

93. R. 2. Etiam dum datur consilium instructivum docendo media, ac modos exequenti damnum, si consultor postea modis omnibus conetur avertere alterum rationibus, quibus potest, dissuadens ne illud exequat, non tenetur restituere damnum secutum, quia saltem moraliter jam non a consulente, sed a malitia consiliarii provenire dicendum est. Debet tamen, si possit, monere damnicandum, ut sibi caveat, res diligentius custodiat, aut claves abscondat, ita cum Salmanticensibus Concina in præsentia, licet mox agens de censuris contra eos oppositum defendat.

94. Inq. 4. An mandans, seu consulens teneatur non solum ad damna tertio illata, sed etiam ad illa, quæ obveniunt mandatario; ut si jubeas Petro occidere Paulum, & hic occidit, seu vulneravit ipsum Petrum? R. Consilians nullo modo tenetur, quia consiliarius sponte exequitur malum, sibi que proinde imputare debet damna inde sibi secuta. *Et nullus ex consilio, dummodo fraudulentus non fuerit, obligatur. Ex cap. Nuper, de regul. jur. in 6.* Idem est de mandatario, qui non a superiore, sed ex stipendio mandatatum exequitur, quia voluntarie tali periculo se exposuit: scienti autem, & volenti non fit injuria. Mandans vero, ut superior, obligatur ad ea restituenda, quæ probabiliter prævideri poterant mandatario superventura; quia imperium superioris quandam vim, & coactionem inducit.

95. *Consensus* in præsentia non sumitur pro mera complacentia mali, sed denotat influxum efficacem ad damnum, ita ut sine eo non fieret, ut subscriptio injustæ litis, vel sententiæ, suffragium ad bellum injustum, ad furtum, ad indignam electionem, vel ad aliam injustitiam, qua posita, datur obligatio restituendi; circa quod:

96. Inq. 5. An, aut quando teneatur restituere illi, qui injustæ sententiæ subs-

§. II.

Palpo, recursus, participans.

subscribunt, aut electioni indigni suffragium conferunt? R. Teneri restituere, quando suffragium eorum necessarium fuerit ad valorem electionis indigni, aut sententiæ injustæ; quia tunc suffragium est causa efficax injustitiæ. Idem dicas de illis, qui cum ex officio suffragia ferre debent, sua vota in capitulo, vel consistorio denegant, prævidentes, quod inde damnum aliquod sequatur, tacendo dum loqui debent. Similiter dum omnes conspirant ad injustam sententiam, aut electionem, si omnium vota necessaria sunt, quia omnes concurrunt ad damnum. Quando autem tuum suffragium non est necessarium, quia omnia necessaria præcesserunt, liber es a debito restituendi, non enim causa efficax damni fuisti. Si vero prior suffragium dedisti, licet prævidens cæteros etiam datos suffragia ad injustam sententiam, aut electionem, teneris restitutioni, quia cum prior fueris in suffragio injusto, prior etiam evadis in restitutionis debito.

97. Inq. 6. An dubitans num suum suffragium fuerit ex prioribus, aut necessariis ad damnum, teneatur ad ejus restitutionem? R. affirmative, quia constat de suffragio injusto, ac de damno illato, ergo possessio stat pro damnificato, & suffraganti injuste incumbit probare se in illud non influxisse, ut liberetur a restitutione.

98. Inq. 7. An, quando suffragium publice fertur, vel ante suffragia negotium voce discutitur, prævideat, qui suffragium ferre posterius debet, cæteros, qui jam suffragium injustum dederunt, mutatuos animum, audientes ejus rationes, seu ejus votum agnoscentes, teneatur suum dictamen justum publice proferre sub poena restitutionis? R. affirmative: quia alias ejus silentium, vel negatio voti conspiraret in cæterorum injustitiam approbandam. In dubio autem præsumi debet alios mutatuos suffragium, dum sanum alterius consilium audirent. Igitur quilibet in talibus negotiis media circumspectione, & prudentia dicere debet, quod ante Deum, & in sua conscientia sibi justum apparet.

99. *Palpo* indicat eos, qui incitant alios ad malum laudibus, seu adulatione, aut impellunt ad vindictam convitiis, vel irrisione: ut exprobando marito tolerantiam adulterii suæ uxoris, vel alteri injuriæ sibi irrogatæ, ex quibus concitati occidunt uxorem, seu convitiatorem. Nec excusatur aliquis a restitutione, eo quod non laudaverit, seu vituperaverit intendens homicidium, aut aliud malum; quia sat est, quod ex tua imprudenti locutione alter fuerit concitatus ad malum perpetrandum: nisi aliquando inadvertentia, seu ignorantia te excuset, quod ex circumstantiis arbitrio prudentum dispendendum est.

100. *Recursus* significat receptatores malefactorum, ut talium, eos occultando, aut eis favendo, ex quo ipsi animosiores fiunt ad prosequenda furta, aut alia damna, confisi in patrocinio receptatoris. Unde viri potentes, seu magnates, qui videntes famulos suos rapinas, damna, & oppressiones exequi, non coercent, nec reprimunt, ad restitutionem tenentur. Item, qui furta, fures, eorumve instrumenta occultant, præbendo asylum ad alia exercenda, restitutioni obnoxii sunt, comprehenduntur enim in particula *recursus*.

101. Verum si tantum materialiter eos recipiant titulo cognationis, aut amicitiae, vel ratione officii, ut stabularii, sive ante, sive post patrata damna eos recipiant, debitum restituendi non subeunt; nec similiter esto post commissa delicta eos occultent, sive adjuvent, ut fugiant, quia hi nec ad illa influunt, nec securitatem ad ea continuanda præbere intendunt. Qui prædam latronis custodiunt, debent eam domino reddere, si absque suo gravi incommodo id efficere valeant.

102. *Participans* dicitur, qui cum latrone positive physice concurrat ad damnum: dupliciter talis dicitur. Vel enim est participans in actione, vel est participans in præda. Participans in actione etiam bifariam potest participare, nem-